



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. VI. Mediolaneum reversus, una cum filio Adeodato, cujus ingenium mire prædicat, & Alipio baptizatur, ac ingenti solatio perfunditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## CAP. VI.

*Mediolanum reversus, una cum filio Adeo-  
dato, cujus ingenium mire pradicat, &  
Alipio baptizatur, ac ingenti solatio per-  
funditur.*

1. **I**Nde, ubi tempus advenit, quo me no-  
men dare oporteret, relicto rure a Me-  
diolanum remeavimus. Placuit & Alipio re-  
nasci in te mecum, jam induto humilitate  
sacramentis tuis congrua: & fortissimo do-  
mitori corporis, usque ad Italicum solum  
glaciale, nudo pede obterendum, insolito  
ausu. Adjunximus etiam nobis puerum A-  
deodatum, ex me natum carnaliter, de pec-  
cato meo. Tu bene feceras eum. Annorum  
erat fere quindecim, & ingenio pravenie-  
bat multos graves & doctos viros. Munera  
tua tibi confiteor, Domine Deus meus, cre-  
ator omnium, & multum potens reformare  
nostra deformia. Nam ego in illo puero,  
præter delictum nihil habebam. Quod enim  
enutriebatur à nobis in disciplina tua, tu  
inspiraveras nobis, nullus alius. Munera  
tua tibi confiteor. Et liber noster, qui in-  
scribitur *de Magistro*, ipse ibi mecum loqui-  
tur. Tu scis illius esse sensa omnia, quæ in-  
feruntur ibi, ex persona collocutoris mei,  
cum esset in annis sedecim. Multa ejus alia  
mirabilia expertus sum; horrore mihi  
erat illud ingenium. Et quis præter te, ta-  
lium miraculorum opifex?

2. Cito de terra abstulisti vitam ejus, &  
securior eum recordor, non timens quic-  
quam

quam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi. Sociavimus eum coævum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua, & baptizati sumus: & fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui, super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

## N O T Æ.

V. l. 8. c. 1. <sup>a</sup> *Mediolanum remeavimus*) biennio fere post conversionem peracto. Nam cum eo tempore, 12 fere annis ab undevicesimo ætatis elapsis, triginta & unum natus esset, & in Soliloquiis, quæ Mediolanum reversus absolvit, quatuordecim annos ab eodem tempore & lecto Hortensio numeret: biennium emergit, quo Cassiciaci moratus libros supra memoratos scripsit, & in virtutibus Christianis ac Baptismi veluti tirocinio, se exercuisse dicendus est. Mediolani ante Baptismum scripsit libros de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Magistro. Est autem baptizatus tempore Paschali teste Possidio, seu Possidonio, anno ætatis 34, ut probat Baron. una cum Alipio & Adeodato, ab ipso S. Ambrosio, ut testatur ipse S. Augustinus, cujus Baptismi anniversaria memoria est in Martyrol. Rom. 5 Maji.

V. l. 8. c. 1. n. 1.

ib. c. 7.

l. 1. c. 10.

l. 1. retr. c. 6.

l. 1. retr. c. 6. & seq.

A. C. 388.

Siricii 4.

Valen. 13.

Theod. 10

l. 1. contra

Iul. c. 9.

## V S V S.

Securitas illa de venia peccatorum, quæ post baptismum & pœnitentiam infunditur, manifestum argumentum est divinæ gratiæ, & veræ fidei. Carent illa impœnitentes, item Hæretici & Ethnici.

C A P.